

*De Appertinentiarum infrascriclarum Familiae Erdödianaee Restitutione; eidemque impendenda Satisfactione; et Districtus Kuttinensis Jurisdictioni Regni Reapplicatione.*

### Articulus 51.

Justum esse agnoscit Sacra Sua Regia Majestas, ut Familiae Comitum Erdödy, pro Dictamine Art. 113. An. 1715. Dominii Montis Claudii Appertinentiae, eidem Familiae per Cameram Aulicam resignatae, per Commissionem supra Articulo 49. clementer resolutam et ordinatam, aut eadem Commissione nefors dilata, et ex quoconque demum motivo non procedente, per aliam eum in finem a Sacra Regia Majestate, pro conformitate Articuli 93. An. 1732. clementer ordinandam, finita praesenti Diaeta, quantocuyus integraliter restituantur;

§. 1. Atque praemissae Appertinentiae, Districtus quippe Kuttina Jurisdictioni Regni, quoad ipsam quoque Onerum publicorum tam ordinariorum, quam extraordinariorum suppertationem reapplicetur;

§. 2. Atque pro tenore citati Artic. 93. An. 1723. eadem Commissione mediante, de illatis dictae Familiae per Confinarios Crisienses et Ivanicenses Damnis, Violentiis, Invasionibus et Occupationibus; adaequata effective impendatur satisfactio.

*De Bonis Zriniano et Frangepano - Fiscalibus, per Cameram Graecensem, aliosque possessis.*

### Articulus 25.

Ad tollendas universas Regnum inter et Cameram Graecensem, aliosque praescriptorum Bonorum Possessores hactenus vigentes Differentias, justum esse agnoscente, per consequens clementer annuente Sua Sacra Regia Majestate, communique Statuum et Ordinum Voto statuitur; ut Bona Zriniano et Frangepano-Fiscalia Trans-Colapina et Maritima per Cameram Graecensem, aliosque tenta, eorundemque Possessores et Officiales, juxta etiam praescriptum Articulorum 71. An. 1681., Art. 44. An. 1715. et Art. 94. An. 1723. (sicuti in aliis Fiscalibus Bonis) communibus Legibus, Oneribus et Jurisdictioni Regni imposterum subsint et subesse debeant.

*De Metarum inter vicinas Styriae et Carnioliae Provincias Rectificatione.*

### Articulus 53.

Quandoquidem inter vicinarum Styriae et Carnioliae Provinciarum et Regni Limites, multis retroactis Annis vigentes, ob varia temporum impedimenta, per ordinatam Articularem Commissionem irrevisae et indecisae etiamnum manerent